Ordinaria Dæmonum eiectio hodiè nulla est vt nec possessio.

COelesti Satanas deiectus sede rebellis
Humano generi maximus hostis erat.
Gentibus & fundens dubiis oracula verbis,
Has studuit variis illaqueare dolis.
Nostra suæ peccata cruci sed Christus Iesus
Figens, de Satana clara trophæa tulit.
Contudit & vires, sic vt nihil amplius ille
Possit in humanum iuris habere genus.
De Satana obsessis igitur quæcunque feruntur,
Nil, nisi quæ nullo pondere verba cadunt.
Dæmonis aut astus, aut impostura virorum
Quos lucri, aut famæ sedula cura movet.
Vt stolido ostentent miracula talia vulgo
Mente sed hoc captos devius error agit.

ERGO

Dæmonis est hodiè non vlla eiectio, sicut
Obsessum nemo dæmone pectus habet.

Vasa in contumeliam facta non possunt fieri vasa salutis.

IMprobus ille Latro, reprobus tamen esse negatur
Sic voluit Dominus, sit tibi velle satis.
Nondum natus Esaû miserè damnatus habetur
Noluit hunc salvum, sit tibi nolle satis.
Vocula PECCAVI placuit satis vna Davidis
Et MISERERE satis, cum miseretur, erit.
Pectora percussit Iudas, sed robora fiunt
Pectora, seu rigido marmore dura magis.
Quos vult obdurat, quos diligit eligit illos
Sic pro velle suo temperat omne suum.

ERGO

Fictus es ad vitam? nec Esau deperditus vnquam,
Factus ad interitum? nec potes esse Iacob.